

## CAPVT VIII.

*De Cyprino Lato Rondeletii.*TAB. XXIX.  
5.Aldrovand.  
de Piscibus  
5. 6. 42.

**C**yprinus latus Germanis *Bresem*, Italica *Scarda* seu *Scardula* dicitur. Bellonius *Abramidem* veterum nullo fundamento adjecto arbitratus est. Cyprino adjungitur, quia est squammis, corporis specie et vita similis. Piscis est maximus et latissimus, *capite* parvo pro corporis magnitudine, dorso repando et cultellato, corpore compresso, *squammis* magnis tecto. Linea a branchiis ad caudam ducta curva est. Ad branchias pinnae duae sunt, in medio ventre duae aliae, ab excrementi meatu alia ad caudam continua. Huiusmodi pisces in lacubus maximis nascuntur. Vidit Rondeletius in Arverniae lacu quodam istiusmodi pisces, qui binum cubitorum, pedum totidem latitudinem aequarent. Nostro in foro copiosissime prostant: minores *Scardas*, maiores propter dorsum insigniter repandum *Gobbos*, quasi gibbosos, nuncupant, suntque pedales plerumque bipedales rarissimi. Scribit Gesnerus *vadum* amare argillosum, vel albicanti argillae simile: ideoque in lacu Tigurino non passim, sed superiore ejus parte capi. Stagnantibus autem aquis praecipue delectantur, illicque mucos, luto, herbisque vescuntur. Quare in iis tan-

tum capiuntur fluviis, qui tardius fluunt, turbidaque sunt, et crassiore aqua, qualis est Araris: multi item in Gallia Belgica: nec in his ad eandem unquam magnitudinem accrescunt, ad quam in lacubus et stagnis. Mirum quod narrat idem Gesnerus, nimirum quendam in Polonia permultos horum piscium coniecisse in piscinam, quae mox superveniente hyeme tota congelata esset: et cum parendi convivii causa, remoto gelu pisces capere vellet: ne unum quidem invenire potuisse: sequenti autem vere rursus omnes apparuisse. Ad hocce latos Cyprinos referri debet piscis huiusmodi e Polonia missus, ubi *Kloszcz* dicitur, totus ex subcaeruleo ad violaceum vergens, exceptis pinnis et cauda, quae albicant. Pinna, quae ab ano est, longior et in exitu latior quam pars est, a pictore puto, expressa est. Habentur a quibusdam in pretio in Arvernia imprimis, ubi in lacu quodam magni et pingues capiuntur. Nonnulli partem in eis mediam expetunt; alii plus molestiae ob minutissimas spinas inter edendum quam volupratis afferre arbitrantur.

## CAPVT IX.

*De Cyprino lato alio, et Ballero.*TAB. XXIX.  
5.Aldrovand.  
de Piscibus  
1. 5. c. 43.

**G**esnerus ex relatione Kentmanni, *tria* huiusmodi piscis genera in Albi reperiri tradit. *Primi* generis pisces esse parvos, tenues, latos, colore subaureo, cui circa dorsum fuscus admiscetur. Dupla eis ad latitudinem longitudo, caput parvum. Pinna dorso et cauda fusci coloris sunt: reliquae vero quinque pinnae, e fusco puniceae. *Squammae* ut in Cyprino. Genus hoc Miseni parvum cognominant *Kleinkarass*, vel a colore *Giblichen*. Vivaces sunt admodum. E piscinis et stagnantibus aquis in Albim veniunt. Raro octo digitos longitudine excedunt. Vescuntur gramine et argilla, ut et reliqui huius generis pisces: quamobrem magis amant pi-

scinas, quam fluentes et lapidosas aquas, propter vadum herbosum et argillosum. Itaque rarius in Albi reperuntur. In piscinis quidem multiplicari eos non patiuntur domini, impediunt enim incrementa et saginationes Cyprinorum, quos a pabulo depellunt. *Alterius* vero generis *Karass*, aliquanto crassiores et longiores sunt. *Squammas* similiter ut praedicti vel ut Cyprini, e gilvo seu flavo nigricantes habent: vocantur autem *Halbkarass*, id est dimidii *Carassi*, quoniam e *Caraso* et *Carpa* veluti compositi videntur. Hi quoque ut primi generis *Carassi*, e piscinis aut stagnantibus aquis Albim ingressi, pariunt in eo et crescunt. Utrisque caro est subla-